





S Y L V V L A
ANTIQUITATVM
AVRELIANARVM.

ZYGDO TRIPVTO IN AVRE-
lianensi Praesidatu Consiliario
Regio, auctore.

CLIO

AURELIANIS;

Apud Eligium Gibierum Vniuersitatis
Aurelianensis in Græcis, & Latini-
nis typographum.

M. D. LXXXIII.

8:30 PM 3-1-10

Digitized by srujanika@gmail.com



R. P. D. SEBA-
STIANO ALBASPINEO,
LEMVICVM EPISCOPO,
& sacri Gallorum confessus
Consiliario , Lugdus
Triputius S. D. P.



F F E R O tibi V. C. bre-
uem natalis soli descriptionē,
hoce est , nuper institutam à
nobis Aurelian. ortus, varia-
rumq; rerum, ac vicissitudinum syluulam:
Impolitum me Hercule, nec te satis dignū;
at ut spero , non ingratum munus. Quid
enim tibi eximiā pietate , & eruditione
prædicto acceptius , quàm augustam anti-
quiss. iuxta ac nobiliss. oppidi imaginem

A. ij.

4
intueri? Quòd si, ut ait ille, & dicit γλούχον τὸ
πατεῖδος, aut me perspecta omnib. singu-
laris humanitas tua fallit, aut huic nostro
conatui profectò ignoscet. Liceat enim mi-
hi (bac quidem certè in re) è meo sensu, de
tuō (quamvis multis partibus perspicaciori,
ac generosiori) iudicare. Ipse nemini conce-
dam, qui vel maiorem ex patriæ ornamen-
tis voluptatem capiat, vel præstantes ex
ea progenitos ciueis religiosius colat, atque
obseruet. Vale Aurel. Non. Septem.
M. D. LXXIII.

SYLVULA
ANTIQUITATVM
AVRELIANARVM.

Lugdo Tripudio in Aurelianensi Praesidatu Consiliario Regio, auctore.



V A M modò Aurelianensem vrbem dicimus, Gallici quidā scriptores censent id nominis habere ab AURELIA NO huius conditore, seu potius instauratore, quem Augustum populus Romanus salutauit anno ab orbe redempto, ducentesimo septuagesimo quarto. Qua quidem de causa AURELIANVM malunt, quām Aureliam hanc vrbē appellare.

INVENIMVS tamen Aureliam
A. iij.

etiam ante nongentos annos vocitata
fuisse: ut ex historiae Francicæ Gre-
gorij pontificis Turonensis libro se-
cundo, capite septimo, colligere li-
cet. Vnde venit in mentem quibus-
dam ut querat num ab A V R E L I A
C. Iulij Cæsaris matre matrona le-
ctissima, id appellationis Aurelia no-
stra retineat, quam postea Aurelia-
nus Augustus ob cognatam appel-
lationem ornarit, ac amplificarit.

N E C posteà defuerunt, qui A V-
R E L I A M , e, in, i, verso appellant,
ut Sabellicus, nimirum ob auri co-
piam quâ scateret : Cui étymo aptè
conuenit vox Francica si dissyllabi-
cè hunc in modum scribatur, O R
L E A N S . Sed hæc olim: Si quidem
Gallica ciuilis discordia, quæ misere
superioribus diebus tenuit Aurelios,
ærarium penè omne exhaust.

CÆTERVM Genabum illud fuit,
cuius meminit Cæsar in commenta-
riis, vt & Strabo libro geographiæ
quarto, cuius verba ita restituenda
cenfeo. Pueis d' oītos (vbi de Ligeri
loquitur) οὔτε Γίναθος τὸ τῆς Καρύστου
ἐμπορεῖον καὶ μέσον τέτης πλάγης ουνομάζεται,
ἔκβαλλε τερπὸς τὸν ὄκεανόν, Vnde factum
est, vt cum Atrelia in meditullio
nauigationis Ligericæ posita sit, hanc
aptè veteres monumentorum tabu-
læ, Ligeris umbilicum appellarent.

IAM verò si panegyricum urbis
nostræ scribam, sita est in amœnissi-
mo, & commodissimo positu. Mul-
tis mercium generibus è longinquis
regionibus huc importandis, atque
viçissim hinc ad diuersas orbis plágas
asportandis, opportunus est tot ter-
rarum spatia lambens fluuius Lige-
ris: qui mœnia Aurelianensia alluit.

HABET & insignem fontē suum
 Ligerulum, qui non lögè ab Oliueto
 oriēs, tantas aquas ab ipso capite fun-
 dit, vt minùs incredibile videri possit
 adagiū illud, magnorum fluminum
 fontes esse nauigabiles. Ac quidem
 nobis deplorandum est, quòd tam
 cito, nempe post milliare vnum in
 Ligerim se exoneret: Dignior certè
 qui lögiorum alueum haberet, cum
 tam exiguo cursu ad plurimos usus
 quolibet anni tempore perennes a-
 quas vicinis præstet: quas nec nimio
 aestu exsiccatas, nec frigore concre-
 tas vñquam queraris. Quæ res usui
 maximo est finitimiſ incolis, cū mo-
 lere nusquam hyeme licet, nisi bene-
 ficio aquæ Ligeruli, nullum vñquā
 gelu rigorem experti, frumēta à mo-
 lendinis Ligerulo impositis indubi-
 tata fide conterantur.

SE D' Aureliani agri vbertitem quo-
modò syluula hæc enarrabit? Hinc
Belsia lectissimo tritico abundat, que
meritò dici possit horreum Galliæ, ut
antiquitus Sicilia, Lybia, & Ægyptus,
populi Romani, atq; etiā sumen Gal-
liæ, ut apud Varronem Vopiscus cani-
pos Roseæ sumen Italiæ appellavit.
Ut & olim sanctissima illa ciuitas
Beth-lehem quasi panis domicilium,
à frugum copia (Sed maximè ab eo
pane qui de cœlo descendit) Christia-
nis commendatissima facta est.

ILLINC amoenissima Secalonia,
pascuis, syluis, arbustis, & pratis viret,
ac riuis & stagnis irrigatur, unde &
macello, & foio piscario obsonij, tex-
trinisq; lanificij magna est copia.

EST & hæc regio vndiquaque cir-
cunsepta vitibus rectè exputatis, ac
frugif. ris, in quibus quotannis utrius-
que coloris vina suavia oriuntur, quæ
ad exteris transuehuntur, priùs tamē
ab huius incolis immēso percepto nu-
mo. Et in eo honore eaq; gloria Bac-
chus ille noster Aurelius semper habi-
tus est, vt cætera vina ei cesserint, Au-
relianusq; vinū pro Lesbio dici vsus
hō ita pridem obtinuerit. O fœlicem
ergo civitatem: Sancta enim res est vi-
num à bonis omnibus viris magno in-
pretio, ac delitijs semper habitū. Cur
ita? Quia njmirum purissimi sangu-
nis, ac purgatissimi sensus parens cre-
ditur: Iccircoq; GENABVM, quasi
cmne gignens bonum dici non inep-
tè autumarim.

ADD E cœlestem aëris limpidi &

defæcati dotem, vt si iterum Aureliæ
(quæ Crotone salubrior est) nomen
mutetur, Aëria dicenda sit, sicut Creta
(testis est Gell.lib.14.cap.8.) in qua ob-
amicenitatem cœli, Iouem educatum
fabulantur. . . .

O P P V G N A V I T quidem urbem
hanc suissimus ille Hunnorum ac
Gepidarum tyrannus potius, quā rex,
Attila, qui se nobili illo, sed infami
elogio, *flagellum Dei*, iactabundus, &
dictabat, & scribebat, quiq; ad tre-
centa armatorū millia ducens, totum
terrarum orbem spe deuorauerat, Sed
egregiè propugnantibus Aurelianis,
coactus est magno suo dolore soluere
obsidionē, & multis suorum millibus
amissis, patrias sedes repetere. Hoc au-
tem contigit circa annum 449. quo
sanctissimus Aurelianorum pontifex

A N I A N V S floruit.

LIGRAVI posteà obsidione Aureliā
premere cœperunt Angli , anno re-
demptæ salutis 1428. mense Octobri.
Sed quamuis res Francica tum tem-
poris magnoperè afflcta esset , Aure-
lianenses tamē virtutis maiorum qui
Attulæ restiterant; memores , eosdem
animos aduersus Anglicum exercitū
gerunt, crebras eruptiones faciunt, ir-
rumpentium impetum sæpenumero
frangūt, ac tandem Anglos non mo-
dò re infesta, sed etiam multis suorū
desyderatis in fugam vertunt.

N E C verò hīc I O A N N Ā D A R-
C I Ā eximia virtus silētio prætereun-
da est ; quæ subsidio obfessis fuerit,
quodq; Aureliana ciuitas , illibata sit
virgo, hostiū potestatem , & vim nun-

quam perpeſſa.

QVAM OBRLEM memores tātæ libērationis beneficio diuino vrbicōcessæ, ciues quotānis die octauo Maij supplicationibus publicè dectetis, procedunt, hymnos Deo immortali cantātes, non ſolū primis omnium ordinum ciuibus conuocatis : Sed eſuſa gestiente plebis turba. Quod quoties videre mihi, & interelle contigit, ſubit animum illius veteris iſtituti, quod de ſolenni die victoriæ Iuſtinianeæ Procopius lib. 4. de bello Vindelico narrat, ut & lib. seq. de ſupplicatione ob terræ motū, vbi, *Hymni supplices uniuersis adstantibus ad id unum coactis, exaudiabantur. &c.*

QVINQUE Concilia religionis ergò Aurelijs indicta, conuenere.

B. iij.

P R I M V M Clodouæi tempore.
S E C V N D V M anno 22. Childeberti Regis.

T E R T I V M 26. anno eiusdem Childeberti.

Q V A R T V M Pelagio primo Romanó pontifice, & Childerico rege.

P O S T R E M V M verò paulò post eodem pontifice, & rege, ut ex pōtificiis rescriptis, ipsitq; adeo conciliorū monumentis licet agnoscere.

S E D & ijsdem temporibus alia quoque vrbis nostræ amplitudinem declarūt. Nam mortuo Clodouæo C L O D O M I R V S eius filius Aureliā ampli regni sui Regiam deligit, cum unicum patris regnum in tetrarchiam quandam (cuius singulæ partes integræ regna censeretur) diuisum fuisset. Appellata est proinde Clodomiri di-

tio Aurelianense regnum, cum Clota-
rius Suessionum, Childebertus Pari-
sium ac Theodoricus Metensium
reges nūcuparentur Sed tandem ad
Clotariū rediit monarchia, quo mor-
tuo, iterū n Francia quatuor regibus
paruit. Suessiones enim agnouere
Chilpericum regē, Parisij Aribertum,
qui & Cherebertus dicebatur, Medio-
matrices Sigibertum, ac Aurelianen-
ses G V N T H R A N N V M cuius re-
gno etiam adscribebatur Burgundia.
Hoc regno à Gunthranni obitu poti-
tus est C H I L D E B E R T V S junior
eius ex fratre nepos, ac demū T H E O-
D O R I C V S Childeberti filius.

T A N D E M post multas ætates, non
iam reges, sed duces Aurelianorum
dicti sunt, qui sub Regum Francorū
imperio Aureliam, aliaq; ei contribu-

ta finitima loca possedere: Inde adeò seu lege, seu instituto obtinuit, vt ditio illa, secundo regis filio addicta, appennagij iure velut hæreditatio cæderet. Panagium alij malint, ad nos deducta à Græcorum fontibus vocis origine, quòd omni genere sancti iurisurandi se deuincirent regiæ maiestati duces Aurelianorum, alijq; id genus sanguinis principes. Sed nihil temerè affirmarim.

HABVIT & adhuc Aurelia nostra aliquid Regij. Sunt enim qui dicant Ludouicum Pium in æde D. Sansoni Aureliensis à Stephano pontifice Romano diademate regio fuisse insignitum.

POSTE A Ludouicus Crassus anno 1108. vñctione regia consecratus, & inaugurus est Aureliæ à Senonum archij-

archiepiscopo.

ET ibidem paulò post Constantia
Alphonsi Hispanorum regis filia, Lu-
douici vii. Francorum regis (quem
iuniorē cognominatū scimus) uxor,
diadema accepit, ibiq; celebratæ nup-
tijæ.

VISITVR Aureliæ monumentum
in saxo incisum ad eam maioris tem-
pli portam, qua itur ad Nosocomium,
literis priscis, sed apertis tamen huius-
modi insculptū. EX BENEFICIO
S. +. PER IOANNEM EPIS-
COPVM, ET PER ALBERTVM
S.+. CASATVM FACTVS EST
LIBER LEMBERTVS TES-
TE HAC SANCTA ECCLESIA. Ex
quo seruorum in Ecclesia solenni ma-
numissio lucem mutuatur: quæ à Cō-
stantino primùm instituta est, vt ex

C.j.

Nicephoro lib. 7. cap. 16. Ecclesiastic.
histo. & Cod. Theod. lib. 4. tit. 7. co-
gnoscere licet. Quam in rem ne plura
annoē impedior diligentia G V L.
F O R N E R I I antecessoris Autelian-
qui totam huius antiquitatis rationē
lib. 1. cap. 4. selectionum copiosius ex-
posuit.

A C C E D I T ad cætera ciuitatis no-
stræ ornamēta, Augustum Pontificij,
& Cæsarei iuris gymnasium (fœcun-
dissimum me-hercle doctorum iuris-
consultorum seminarium) quod hîc
institutum est, iam inde ab anno red-
ditæ nobis salutis 1312. Nempè Phi-
lippo Pûlchro ad reipublicæ guber-
nacula sedente. Quo tempore nobi-
lissimum illud summorum iudicium
domicilium, palatium Parisiense ex-
tructum est, ut quemadmodum olim

Romæ per ianuam virtutis in Hono-
ris ædem ingrediendum fuit : Sic ex
Aureliano hoc gymnasio , tanquam
ex equo Troiano , doctissimi iuriscon-
sulti ad illud palatium ius dicturi pro-
diren t: ut iam meritò fœlicissimum
Adriani , Alexandri ve seculum redijs-
se videatur .

P O R R O memini me audire Cle-
mentem pontificem huius nominis
quintum , in nobili illo & vniuerso
studio doctoratus insignibus donatū
(vt cæteros omittā, qui sine memoria
Simonidis recenseri nequeunt) gemi-
ni iuris mysteria explicuisse : eumq;
dum Lugduni ageret , ad antecessores
Aurelios nonnunquam familiariter
scripsisse . Et quoniam tanti viri me-
moria iniocunda esse non potest , hîc
lubenter addam , inter cætera , vnius
C.ij.

epistolæ, quæ extat, titulum, vt quale
de hoc gymnasio sanctissimi patris
fuerit iudicium, agnoscamus. Itaq;
huius sunt verba.

„ A D nostrum florens, & fructiferū
„ Vniuersitatis Aurelianensis, intra
„ cætera citramontana studia, prius,
„ antiquius, & solennius, tam Ciuilis,
„ quam Canonicæ facultatis studiū,
„ cui tanquam horto deliciarū à tem-
„ pore Aurelij gloriosiss. imper. mihi-
„ ficè plantato, & per Vigilium scien-
„ tificè adaucto, inuentor altissimus
„ scientiarum Dominus, benedixit.

I N T E R cætera autem quæ sapien-
ter ab ijs qui Aureliorum ciuitatem le-
gibus, & institutis temperarunt, de re
Academizæ sancta sunt: Illud impri-
mis laudare & admirari soleo, quòd
illi Calend. Octob. ineunte hyeme stu-

dijs amica, anniuersarias de iure disputationes haberi voluerunt.

S O L E N T enim Antecessores exāctis Cerealibus, & Vindemialibus ferijs, publicè de iure differere: vt éam necessitatem lege Academiæ & S C. singulis impositam nemini, nisi cauſario professori liceat detrectare.

Q V I N E T I A M studiosi auditores (qui priuatis de iure sermonibus in ædibus doctorum diligenter exercentur) ad splēdidioris disputationis certamen ineundum, legis nuper de Sabbathinis diatribis promulgatae, præmio excitantur. Cuius quoniam & ipse fructū percepisse præ me fero, verba quibus disertè cōcepta, & promulgata est, non grauabor hac in commentatiuncula asscribere.

LEX.

SI QVIS POSTHAC PVBLE
CA DE IVRE DISPVTA-
TIO-
NE , VIRIVM PERICVLVM
FACERE VOLET, ID EI SINE
VLLA SVMPTVVM, QVI AN-
TEHAC NECESSARIO FIE-
BANT MOLESTIA, IVS ESTO.

STVDIOSI, QVO MAGIS
RES PRO DIGNITATE, SI-
NE QVE TVMVLTU TRANSI-
GATVR, MEDITATI ACCE-
DVNTO: CANDIDE, MODESTE-
QVE CERTANTO, INTER-
QVE IPSOS, ET ÆTATIS, ET

GRADVS, ET ANTE HABITÆ
SCHOLÆ RATIO HABETOR.

CONCERTATIONI NON
NVLLI EX ANTECESSORVM
ORDINE TANQVAM REI CON-
TROVERSÆ DISCEPTATO-
RES, MODERATORES QVE
PRÆSVNTO: QVEM TAMEN
EX ILLIS AVDITOR SIBI
IPSE DELEGERIT, QVI CVM
PRIVS CONTVLERIT, VNVS
PRÆCÄTERIS VERBA FA-
CITO.

QVIRECTE ID MVNVS OB-

SYLVULA

IERIT; EIVS DISSERENDI
SVBTLITAS, ET ACVMEN,
NON VVLGARI ANTECES-
SORVM ELOGIO COMMEN-
DATOR.

CÆTERA, VTI ÆQVIV S, ME-
LIVS, RECTOR ET ANTECES-
SORES, PRO SVO ARBITRIO
PROVIDENTO.

P. P. AVREL. III. IDI.

OCTO. M. D. LIX.

Concertandi locus in ampliori iu-
ris apud Aurelios auditorio indicitur
diebus Sabbathi horis pomeridianis.

HVC

HVC etiam permulti exeterarū gentium, ac nationum variarū adolescentes nobilissimi (ut iam nostri labij viros omittam) cum didascalis quām literatissimis configiunt, quō Gallicē loqui & bene, & suauiter, discant. Si quidem regionis Aurelianæ incolæ tam disertè, & facundè Francicē loqui norunt, vt Aurelianè dicere, idem sit Gallis, quod olim Atticē effari Græcis fuerit. Nec mirum, cū teheant medias Franciæ parteis.

NON postremum dignitatis locum occupant librarij & bibliopôle innumeri, & typographi qui omni librorū genere instructissimi, studiosis subsilio esse solent.

QVAM verò bene, ac lögè viæ Aurelianae
D. j.

S Y L V V L A
lianę à suis suburbis hinc inde lapidi-
bus stratae sint, pro miraculo est, quod
inde Lutetiam profecturi ad undeci-
mum. usq; ferè lapidem tali via utan-
tur: ac si repetas quod continuis lapi-
dibus constent, iam quadraginta tri-
bus, & amplius rescias, quibus admi-
nistrandis, ac custodiendis singulo
quoquo biennio diligentissimi adhi-
bentur viarum, ac aggerum curatores:
ut non defuerint clari quidam in iure
docendo nominis, sed ex illa illota in-
terpretum turba, qui quod apud Cel-
sum in I. Quidam in testamento. ff. de
lega. 2. De legato IN T V T E L A M
A V R E L I A E VIÆ legimus, ad nostri
municipij viam stratā retulerint. Sed
similitudine nominis capti, de nostra
Aurelia, quam eadem laude celebra-
tam animaduertebant, cogitarunt.

POSTREMO hoc nostro seculo
trium ordinum conuentus (quos sta-
tus vocant) hac in ciuitate Genabica
DIVO CAROLO VIII. sem-
per Augusto imperante, habiti fuere:
Quibus in comitijs ad delectorum
hominum qui eò conuenerāt, postu-
lata, leges præclaræ sanctæ sunt, per-
multaq; in communem rei Gallicæ
vsum constituta, quæ hodie in foro,
& in iudiciis obtinere, & usurpari ex-
perimur.

FAXIT v. cl. Deus Opt. Max. qui
tot cœli soliq; dotibus sedes patrias au-
xit, teq; inter omneis, vt & totam AL-
B A S P I N E O R V M familiā ibi ter-
rarum sua prouidentia nasci voluit,
quò Aurelia stare possit (Omnes si qui
dem à latere & consilijs Christiano-

58 SYLVVL A AVRELIANA:
rum Regum fuere) vt tantis bonis,
exoptatōq; otio, grata diutissimē per-
fruatur.

FINIS.





